STATUTA ORDINIS PRAEMONSTRATENSIUM
Prémontré, 13. Jh. T. I nach 1244/1246, T. II nach 1256 Seite 20v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35395
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten

dispositione abbatis remanebit. In quibus terminis sibi minuat
conventus. nisi aliqui pro negociis domus vel alia certa causa intus
vel foris fuerint occupati. Minuti autem comedentes in infirmitorio
sedeant in cappis. et in silencio. et a principio comestionis usque ad
finem audiant lectionem. Hec autem extraordinarie minuti sunt [?]
nisi propter egritudinem manifestam et de licentia abbatis vel prioris. Minuti autem
non exeant claustrum sine licentia. Contineant [?] conventum cum non erunt
minuti. Qui autem de ventosis vel garsis minui voluerint: ante cenam
minuentur. cum matura sibi custodia deputata. In vesperis et
matutinis pausabunt. de cetero conventum tenentes preter quam ad refecto-
rium in quo aliquid eis pro misericordia addi debebit. **De Rasura.**

Rasura superius sit non modica ut religiosos decet. **xij.**
Sicut inter rasuram et aures non sint plus quam tres digiti.
Tonsura fiat desuper aures. Rasura et tonsura fiat his terminis.
Prima In nativitate domini. Secunda In vigilia epiphanie. Tercia. xiiij.
kalendas februarii. Quarta kalendas februarii. Quinta. xv. kalendas marcii. Sexta.
kalendas marcii. Septima. xvij. kalendas aprilis. Octava. kalendas aprilis. Nona.
xvi. kalendas maii. Decima. pridie kalendas maii. Undecima. iij. idus
maii. Duodecima vj. kalendas iunii. Terciadecima v. idus iunii.
Quartadecima. ix. kalendas iulii. Quintadecima. iij. idus iulii. Sex-
decima v. kalendas augusti. Septimadecima. In vigilia assumptionis